

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2022-2023  
À rendre avant le dimanche 23 octobre (format pdf par courrier électronique)

### **Version latine n°4 : la femme idéale**

*Pline a épousé Calpurnia, une femme éduquée qui, ayant perdu ses parents très jeune, a été élevée par la famille de son père, c'est-à-dire par son grand-père et sa tante. C'est à cette dernière que l'épistolier s'adresse.*

C. Plinius Calpurniae Hispullae suae s.

Cum sis pietatis exemplum, fratremque optimum et amantissimum tui pari caritate dilexeris, filiamque eius ut tuam diligas, nec tantum amitae ei adfectum, uerum etiam patris amissi repraesentes, non dubito maximo tibi gaudio fore, cum cognoueris dignam patre, dignam te, dignam auo euadere. Summum est acumen, summa frugalitas ; amat me, quod castitatis indicium est. Accedit his studium litterarum, quod ex mei caritate concepit. Meos libellos habet, lectitat, ediscit etiam. Qua illa sollicitudine, cum uideor acturus, quanto cum egi gaudio adficitur ! Disponit qui nuntient sibi quem adsensum, quos clamores excitarim, quem euentum iudicii tulerim. Eadem, si quando recito, in proximo discreta uelo sedet laudesque nostras audissimis auribus excipit. Versus quidem meos cantat etiam formatque cithara non artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus.

His ex causis in spem certissimam adducor perpetuam nobis maioremque in dies futuram esse concordiam. Non enim aetatem meam aut corpus, quae paulatim occidunt ac senescunt, sed gloriam diligit. Nec aliud decet tuis manibus educatam, tuis praeceptis institutam, quae nihil in contubernio tuo uiderit, nisi sanctum honestumque, quae denique amare me ex tua praedicatione consueuerit. Nam cum matrem meam parentis uice uererere, me a pueritia statim formare, laudare, talemque qualis nunc uxori meae uideor ominari solebas. Certatim ergo tibi gratias agimus, ego quod illam mihi, illa quod me sibi dederis, quasi inuicem elegeris. Vale.

Pline le Jeune